

1175

CODICES

1176

ergo *Anglus*. Floruit in confinio Sec. XIII. et XIV. gnauus *Scoti* ἡπερασπιστης, unde inter XIV. Doctores O. M. circa ejus sepulcrum *Coloniae* nomen aeri incisum habet. Scripsisse eum in IV. *Sententiarum Libros* ex *Pitseo* etiam *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib.* testatur, quanquam rarissima debeant esse Operis nostri *Exempla*. Ad calcem adscribitur est difficili manu aliquarum *Quaestionum Supplementum*.

V. fol. 288. sequitur *Lectura* in IV. *Sententiar.* hoc ingressu: *Circa principium quarti queritur primo utrum in sacramentis noue legis sit aliqua virtus etiam influxiva ad causandum &c.* et fine: *penarum inequalitas predictis correspondens.* Adjecit Scriptor: *Expleto quarto salutem fratri.* Item: *Istius opusculi non fuit mencio facta. sed plus vere vellem seruire deo.* Quasi querentis, non respondere favorem quaesitum meritis, et scribendi pertaesi.

CCCCLXXXVI.

U. 429 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 120. f. per duas columnas exaratus, rubricis distinctus et olim a *Petro de Mautarn* Plebano in *Meigen Austr.* infer. pago Academiae oblatus aliud est *Exemplar Johannis Duns* seu *Scoti* in *L. I. et II. Sententiarum*, quorum hic fol. 75. p. 2. incipit. Uterque adjunctum habet *Quaestionum Elenchum*, sed utriusque phrasis non raro ab *Editis* variat.

CCCCLXXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 428 XIV. Folior. 98. f. maj. per duas columnas exaratus, coloribus distinctus, et unus illorum 17. quos teste *Nota praevia M. Andreas de Weytra T. D.* et *S. Stephani Canonicus ad Librariam Collegij ducalis inter viuos* donavit, aliud est *Exemplar Johannis Scoti in L. I. Sententiarum* integrum, sed absque *Quaestionum Elencho*.

II. fol. 93. p. 2. *Tractatus* adjectus est *de vero Esse*, qui ita ingreditur: *Primum rerum principium me ea credere sapere ac proferre concedat que ipsius placeant magestati et ad eius contemplationem eleuent mentes uestras &c.* Extrema pagina, quae fortasse nomen *Autoris* referebat, penitus extrita est. *Thecam* anticam vestit *Membrana* quaedam *Rabbinica* per duas columnas eleganter scripta, cujus *Rubrica* integra incipit: *החוא אפוטרופא דהורא בשיככותיה דר' יהושוע בין לוי &c.*

CCCCLXXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 432 XIV. Folior. 139. f. per duas columnas multis compendiis, quam labem *Scholasticarum* aetas intulit, exaratus et coloribus distinctus ita ad calcem subscribitur: *Explicit reportatio super primum sententiarum sub magistro iohanne scoto. et examinata cum eodem uenerando doctore.* Initium est: *Circa prologum libri sententiarum pri-*